

mortem exilio, ueluti mos est apud Græcos, nephas habetur. Ferunt quendam A
 missio ad se mortis signo, cogitasse ex Aethiopia fugere: quod presentiens ma-
 ter, zona ad filij collum posita, nequaquam manibus reniti aufum, ne suis dedeco-
 ri esset, strangulasse. Sed præter omnium opinionem mirandum uidetur, quod
 fertur de regum morte. Nam qui in Meroë sunt circa deorum sacra cultumque
 dediti sacerdotes, & hi quidem maxima apud omnes pollutent auctoritate: cum
 eis uisum fuerit, regi nunciant ut mortem oppetat. Ita enim deorum iubere re-
 sponsa, neque fas esse immortalium uoluntatem à mortali homine contemni, a-
 liasque addunt rationes, quibus ex uetere obseruataque consuetudine uolunta-
 riam regi suadeant mortem. Et sanè superiores omnes reges, sacerdotibus, non
 armis neque ui coacti, sed ipsa uicti superstitione, sponte paruerunt. At Ptolemæi
 secundi tempore rex Aethiopi Ergamenes Græcis doctrinis philosophiæque
 deditus, hunc primum morem spreuit. Usus namque prudentia rege digna, cum
 militibus in Auatum, ubi templum aureum erat Aethiopum, profectus, sacer-
 dotibus omnibus interemptis, ueterique consuetudine abolita, pro uoluntate
 regnum tenuit. Consuetudinem quam seruati regis amici, quamuis mira-
 bilem, tamē permanere ad hoc usque tempus dicunt. Moris enim asserunt Aethi-
 opibus fuisse, ut si quando rex aliqua corporis parte ex qua uis causa debili-
 taretur, domestici omnes sponte sua eandem partem debilitarent. Turpe et-
 enim existimabant, rege claudo non & omnes claudos amicos esse. Et quidem
 absurdum uidebatur: cum uerè sit amicitia, ex rebus aduersis amicorum do-
 lere, lætari secundis, non & corporis quoque doloris amicos participes esse. Fe-
 runt quoque consuetudinis esse, amicos ultro in regis morte uita defungi, exi-
 stimantes eum interitum gloriosum, ueræque amicitia testem. Ideo haud facile
 est Aethiopibus aduersus talem amicorum consensum insidias parare: cum
 & rex & amici uno animo communi eorum consulant saluti. Hæc leges apud
 eos Aethiopes qui metropolim ac insulam Meroë uicinamque Aegypti loca in-
 colunt, seruantur. Sunt & alia genera Aethiopum admodum populosa: quo-
 rum hi utrasque Niliripas insulasque in Nilo sitas habitant, hi Arabiæ sunt proxi- B
 mi. Alij mediterraneas tenent regiones uersus Arabiam sitas. Horum pars ma-
 ior, maximeque iuxta fluiuium inhabitantes, colore nigri sunt, facie similes, ca-
 pillis crispis, syluestres ferme omnes, atque aspectu efferi, corpore robusto, un-
 gues protensos habentes, feris similes, absuntque à mutua humanitate plurimum,
 uocem pronunciant acutam. In cæteris que ad uitam spectant, nihil domestici
 humanique habent: plurimum à nostris moribus differentes. Arma ferunt hi
 quidem scuta ex corio crudo bouis, ac paruas hastas: hi præacutas sudes: quan-
 doque ligneos quatuor arcus cubitorum, quibus sagittant, altero protenso pe-
 de. Consumptis sagittis, sudibus pugnant. Armant in super usque ad certam eta-
 tem foeminas, quibus ut plurimum moris est æreum circum in labijs ferre.
 Vestibus quidam minimè utuntur, uitam per omnem nudi: expositique solis
 ardoribus, nulla re præterquam que casu se offert, adiuuantur. Nonnulli pecu-
 dum caudas, pudendis uelamen femori circumdant. Alij pecorum uelluntur
 pellibus. Sunt qui subligaculis, quæ ex capillis cõtexunt, usque ad medium cor-
 pus cooperiantur. Non enim oues eorum (ita fert regio) lanam habent. Cibis ut-
 untur quidam herba, que in aqua sua sponte circa stagnantia ac paludosa oris
 loca: quidam arborum fructibus, quibus etiam corpora ab æstu meridiano
 circumdant. Alij sesamum & lotum serunt. Sunt qui teneras arundinum ra-
 dices edant. Plures arcu exercitati, auiibus occisis famem sedant. Magna pars
 pecorum carnibus, lacte, caseo uitam ducunt. De dijs, qui superiores ac-
 colunt regiones, dupliciter sentiunt. Nam quosdam eorum opinantur sem-
 piternos atque incorruptibiles esse, ueluti Solem, Lunam, & uniuersum
 Mundum. quosdam uerò putant mortalis naturæ participes: fere propter
 uirtutem, & in homines benefacta, honores immortales fuisse sortitos.

Iidem